

ter locutus est filio, quia incorporaliter pater genuit filium. Nec enim sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Et hoc est, docuit me pater, quod scientem me genuit pater. Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura ueritatis, hoc est filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet quod nouerit, à quo habet, ut sit, non ut prius ab illo esset, postea ab illo nosset, sed quemadmodum illi gignendo dedit, ut nosset. Quia simplicis (ut dictum est) naturæ ueritatis est esse, & nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum. Dixit ergo ista Iudeis, & addidit: Et qui me misit, mecum est. Hoc & ante dixerat, sed rem magnam assidue commemorat, misit me. & mecum est. Si ego tecum est o domine, non unus ab alio missus est, sed ambo uenistis. Et ramè cum ambo similes sint, unus missus est, alter misit: quoniam missio est incarnatio, ipsa incarnatio filij tantum est, non & patris. Misit itaque pater filium, sed non recessit à filio. Ergo, inquit, qui me misit, non reliquit me solum. Cuius autoritate tanquam pater incarnatus sum, mecum est, non me dereliquit. Quare me non dereliquit? Quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Ipsa est æqualitas semper, non quodam initio & deinceps, sed sine initio, sine fine. Dei enim generatio & deinceps, sine initio, sine fine. Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta sunt tempora.

FERIA TERTIA

post Reminiscere Matthæi, XXI.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios. Et reliqua.



Homo iste paterfamilias & duos filios legit habuisse, omnipotens deus est, pater familias & conditor duorum populorum. Prior filius, gentilis est populus, qui in Noe & filiis eius exordium sumpsit, qui prior dicit, quantum ad antiquitatem pertinet. cui dedit dominus per legem naturalem præceptum.

ut operaretur vineam suam, dicens: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Et, Omnia quæ vultis ut faciatur vobis homines, & vos facite illis. Ille quidem primus in vinea domini laborare contempsit, sed postmodum in adventu domini penitentia commotus, ad opera iudicij conversus est. Alter vero filius Iudæicus populus fuit, cui dominus dans legem per Moysen, operari præcepit in vineam suam. **Et respondit: Eo domine. Ait enim: Quia quæcumque præcepit nobis dominus, faciemus, & obediētes ei erimus. Et non iuit. Quia cuncta quæ stabilia esse promisit, mētitus est. Quia ex duobus fecit voluntatē patris: Dicit: Primus. Sua sententia cōdemnant Iudæi. Primus etiam filius .i. gentilis populus, voluntatē patris fecit, qui primus quidem erravit, postmodum per penitentiam semetipsum correxit. Quidam autem interpretantur hanc parabolam**

Matth. 5

POST REMINISCERE 385

non super duos populos, sed super iustos & peccatores, Publicani enim & peccatores, qui primum mandata dei respuerunt, postea predicare Iohanne eum acceperunt, & baptismo illius sunt mundati. At contra scribae & pharisaei, qui de falsa iustitia sibi applaudebant, dum baptismum Iohannis percipere despexerunt, inobedientes diuinorum preceptorum extiterunt. Unde & dominus in conclusione istius parabole subiunxit: **Quia publicani & meretrices praecedent vos in regno dei.** Regnum dei possumus intelligere sacram scripturam, iuxta quod alibi dicit: Auferetur a nobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ad hoc regnum dei publicani & meretrices, id est, gentiles praecesserunt Iudeos.

Matth. 21.

FERIA QVARTA

Post Reminiscere, Matthaei XX.

In illo tempore: Ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam. Et reliqua.

Crebros dominus iam superius passionem suam praedixerat, & tempus & locum & modum etiam suae passionis. Quid ergo est quod iterum repetit? Sed quia multa interlocutus fuerat, & poterat memoria suae passionis a mentibus discipulorum suorum elabi, ideo repetit saepius de contumelia passionis suae, ut & pararet animas illorum ad tentationem, ut uenientes Hierosolymam, tanto minus terrerent, quanto saepius id a domino praedictum esse meminissent. **Et accessit ad**